

1480 21. Aug.

Ex Hist. Pru. Schützii fol. 533.

Vide in ead. circumstantias  
huius Epistolae.

Joan. Alb. Electus Hung. Rex, ad Gedanenses.

43.

Spectabilibus Viris Protocensulibus  
et consulibus Civitatis Gedanensis,  
amicis dilectis.

13

Spectabiles amici dilecti. Memini audivisse saepenumero,  
quem admodum Civitas v<sup>ra</sup> multa & magna fecerit in  
oportunitatibus Serenissimi d<sup>ni</sup> genitoris mei, et illius  
status & suorum augetur. Quae benevolentia & fides  
v<sup>ra</sup> erga paternam Majestatem facit, ut credam fura  
vobis gratissima omnia, quae sibi simul & suis pro-  
spere succedunt. Atq; ideo vobis significandum pu-  
tavi, quod posteaquam proceres hujus regni deservien-  
tes ab universali ac legitima electione defacta me  
in publica congregatione regni, superinduxere huc  
Germanum meum Bohemia regem, ego coactus  
eram actionem, quam jure prosequer, armis ag-  
gredi, ex his oppidiis & civitatibus, quae illos se-  
quebantur, multas redegi in potestatem, aliae sponte  
adhaerunt mihi, & partes meas sequuntur cum  
universa Nobilitate ex utraq; parte Danubij praeter  
paucissimos, qui eorum bona habent, sub manu  
illorum, qui Germanum meum induxere. Et quantum  
res ipsa demonstrat, simul & voluntates hominum  
persuadent, brevi & sine multa difficultate perveniam

ad possessionem omnium. Quandoquidem qui adversari  
instituerant non solum sunt pauci, sed etiam sine aucto-  
ritate, & sine facultatibus, nec possunt se a seculo tueri.  
Ut indicatum est nuper dum Casovia oppugnatur,  
que desperato iam subsidio agit mecum de conditio-  
nibus, quibus se tradat. Quod ubi factum erit nihil  
restabit, quod felicitatis meae curam possit retar-  
dare. Ceterum quoniam fortuna adiuvanda est,  
et quo feliciter res succedant, eo diligentius, praecavenda  
sunt adversa, ut possim eo majori animo & viribus  
cetera prosequi, rogare vos placuit ut quem admodum  
sepe alias fortunam domus vestrae relevastis & iuvistis,  
velitis etiam nunc eam juvare, in hac mea actione  
aliquo pecuniarum numero. Ut enim non igno-  
ratis nihil in bello adeo feliciter potest succedere,  
quin multa sint impendenda, dum res geritur.  
Sed victoria postea compensat omnia, & facultates  
dat victori, ut possit cumulatim gratias illis referre,  
qui actiones suas iuverunt & sustinuerunt. Scio  
ut a principio dixi, vobis multa debere a fami-  
lia vestra, propter illa quae fecistis pro regno  
Poloniae augendo, et puto dignissimum esse  
fide & integritate vestra, ut etiam sitis imprimis  
participes laudis, quam consecuturi sunt illi,  
qui ad hoc regnum assequendum mihi adfuerunt.  
Quae res facile vobis continget, si quod peto

impetravero, sicut certe confido propter perpetuam  
 vram fidem, et integritatem erga domum nr̄am.  
 Quod si ut jam apparet, finis hujus rei erit ex  
 sententia nra, debetis confidere, quod in brevi  
 cum summa gratia vobis beneficium compen-  
 sabo, ac per omnes occasiones vras nunquam  
 vobis adesse desinam. Misissim de his rebus  
 nunquam, nisi putassem, vos tam acclinatos esse  
 ad commoda domus nr̄e, ut satis forent literae  
 ad haec quae nunc peto impetranda. Scripsi tamen  
 magnifico Palatino Mariaeburgensi, ut de his  
 et alijs pertinentibus ad statum paternum  
 vobiscum ageret, quod cum summa fide ipsum  
 facturum non dubito. Datum in castris nr̄is  
 iuxta Caschoviam ipso die undecim millia  
 virginum (21 Octobris) anno Domini M<sup>o</sup> C<sup>o</sup>  
 CCC<sup>o</sup> L<sup>o</sup> XL<sup>o</sup>.

Joannes Albertus,

Dei Gratia, Regni Hungariae

Generalis Electus

